

« quia de illo est, in mundum venit, quia corpus
« ostendit, quod de Virgine assumpsit. » Albertus
Magnus hisce verbis hanc paraphrasin adhibet :
« *Exiit pro æternam generationem a Patre; et veni*
« *in assumpta carne in mundum, visibilis factus*
« *mundo.* » Toletus ita explicat : « *Veni in mundum*
« *homo factus et humilians meipsum usque ad*
« *mortem.* »

2. — S. Thomas, in *Joan.*, dicit, quod tam exitus
a Patre, quam ejus in mundum adventus localiter
minime sit intelligendus : « Sicut exitus a Patre ab
« æterno non est localiter, ita nec adventus ejus in
« mundum est localis, quia cum Filius sit in Patre;
« et e converso, sicut Pater omnia implet, ita et
« Filius, nec est, qui localiter moveatur, dicitur
« ergo venisse in mundum in quantum naturam
« humanam assumpsit, quantum ad corpus, habentem
« originem ex mundo; non mutando locum. »

Iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem.

3. — Bonaventura citans auctoritatem S. Augustini, dicit : « Relinquit mundum corporali disces-
« sione, perrexit ad Patrem, hominis ascensione,
« nec mundum deseruit presentie gubernatione. »
Albertus Magnus ait : « *Relinquo mundum*, non
« tamen relinquo carnem, quam assumpsi de
« mundo, et vado ad Patrem per Ascensionem. »
Apelles Marcionis discipulus Christum corpus as-
sumpsisse docet, non phantasticum, prout ejus
credebatur magister, nec ex vera carne, ut tradit
Evangelium, sed cœlestis, affirmans impie, quod
Christus in cœlum ascendens, corporis partibus
depositis, purus remanserit et ascenderit spiritus;
nobis autem ex fide certum est, quod sacratissimam
suam humanitatem una cum vulnere cicatricibus
ad dexteram usque Patris contulerit, ut nosler esset
apud æternum Patrem suum advocatus. « *Ascendit*
« *Christus in cœlum*, » inquit S. Bernardinus, *Ser. II*
« *de Asc.*, « scilicet ut nos intrinseter in corpora-
« lem possessionem rogni cœlorum, ut tam corpore
« quam anima glorificaremur in eo. » Et in alio
quodam sermone de Ascensione dicit : « Primus
« fructus Ascensionis est Patris exoratio. Unde,
« *Hebr.*, ix, 24, Apostolus ait : *Jesus introivit in cœ-*
« *lum, ut appareret nunc vultui Dei pro nobis*; quot
« vulnera pro nobis suscepit, tot linguas habet,
« quibus pro nobis apud Patrem intercedit. »

4. — Cajetanus ingeniose notat differentiam in
dicendo : « *Exiit a Patre et reliquit mundum*; non
« dixit : *Relinquo patrem, quia exiit a Patre*, quod
« non reliquit Patrem, ita junxit sibi carnem passi-
« bilem, quod non reliquit divinitatem communem
« sibi cum Patre, mundum autem reliquit, quia
« conversationem hujus mundi, ad quam venerat,
« relinquebat. »

5. — S. Thomas hunc mundi relictionem exponit
quoad discessum corporalem, non vero quoad cu-

ram et providentiam : « *Relinquo mundum*, non
« subtrahendo sue gubernationis providentiam,
« quia simul cum Patre semper mundum gubernat
« et semper cum fidelibus est per gratiæ opitula-
« tionem, relinquit mundum subtrahendo se a
« conspectu corporali mundanorum; » postea vero
idem Angelicus Doctor, quo modo et quo fine ad
Patrem regredi disposuerit, declarat, dum ait : « *Et*
« *vado ad Patrem, quem nunquam deseruerat*; va-
« dit autem, in quantum se obtulit Patri in pas-
« sione; item in quantum per resurrectionem,
« secundum quod homo transfiguratus est Patri in
« immortalitate; item in quantum in Ascensione
« ascendit ad cœlos. »

6. — Porro in tribus hisce Dominicis, Ascensionis
festum præcedentibus, sancta Mater Ecclesia
nos in prælectis nobis Evangelicis fideles suos ad
vicinum hocce mysterium præparare satagit, ut
una cum Christo spiritaliter ascendere possint; et
quidem modum, quod id assequi possimus, his ver-
bis tradit : *Relinquo mundum*, hoc enim adimpleto
et præmisso, consequens est, quod vado ad Patrem;
unde bene S. Bernardus, *Serm. de miser. humana*,
ait : « O homo, quanto magis ad mundum accedis,
« tanto longius a Deo recedis; » quanto enim per
affectum et amorem nostrum, bonis hisce terrenis
adhæserimus, tanto ad comparandum bona cœlestia
inhabiliores efficiamur : « Amor meus, pondus meum,
« eo feror, quocumque feror; » et ideo si amor
noster terram versus nos inclinet, in cœlum nos
subvehere nequibimus; verum quidem est, quod
quoadusque in carne hæc mortali vivimus, mundum
hunc omnino deserere non possimus; attamen, ut
S. Bernardus in celebri illo sermone, quem super
illa verba : *Ecce nos reliquimus omnia*, conscripsit :
« Plus concupiscentia mundi, quam substantia
« nocet; » neque enim bonorum temporalium posses-
« sio, sed nimia ad illa affectio et cupiditas nos
condemnat, quia, ut S. Augustinus ait : « Charitas
« venenum est, spes adipiscendorum aut retinendo-
« rum temporalium, nutrimentum ejus est dimi-
« nutio cupiditatis. »

Additio.

a. — *Iterum relinquo mundum et vado ad Patrem.*
Relinquendus profecto mundus, si quis in æterna
beatitudine ad Patrem ire cogitet; unde ut facilius
mundum relinquere possis, oculi in cœlum dirigendi
sunt; quisquis enim in cœlum oculum suum dirigit,
omnia quibus hic in terris frui potest, facile contem-
nit, quia in cœlis omne bonum reperitur. Unde
quanti valoris unica tantum cœlestis torrentis stilla
sit, ponderare licet. Salvator noster regnum cœlo-
rum homini negotiatori simile esse dixit, qui pro
margarita quadam comparanda, totam suam sub-
stantiam impendit. Eusebius Gallicæ negotiatoris
hujus prudentiam et circumspectionem valde com-

mendat, licet aliis videri possit ipsum stulte egisse
 et dicit : « Callidus negotiator est, quod ex his,
 « quæ diu possidere non potest, tale aliquid emit
 « quod nunquam amittere timeat et in quo uni-
 « versa possideat. » S. Gregorius pariter ait : « Omnia
 « vendens emit, quia qui cœlestis vite dulcedinem,
 « in quantum possibilitas admittit, perfecte cogno-
 « verit, ea quæ in terrenis amaverat, libenter
 « cuncta derelinquit. In comparatione ejus viles-
 « cunt omnia; deserit habita, congregata disper-
 « git. »

VERSUS 29.

*Dicunt ei discipuli ejus : Ecce nunc palam loque-
ris, et procerbium nullum dicis.*

1. — Christus alias quidem non nisi in paraboli-
cis cum discipulis suis loqui consuevit, nunc vero
aperte loquitur. Unde Dionysius Carthusianus hunc
illorum verborum sensum esse dicit : « Proverbum
« nullum dicis, loquendo de exitu tuo a Patre et
« adventu in mundum, ipsam veritatem nude, sine
« parabola, loqueris. »

VERSUS 30.

*Nunc scimus, quia scis omnia, et non opus est tibi,
ut quis te interroget, in hoc credimus, quia a
Deo existis.*

1. — Rupertus Abbas discipulos hanc attestatio-
nem : *Scis omnia*, de increata et incarnata Sapien-
tia edidisse dicit : « Venerabilis, » inquit, « et
« Sapientie Dei condigna hæc professio est, qua
« dicitur : *Nunc scimus, quia scis omnia*; omnia
« namque scire, solius est Sapientie ejus, cujus
« non est numerus, quæ attingit a fine usque in
« finem fortiter et disponit omnia suaviter, hæc
« enim sola scit omnia et omnium scrutatur corda,
« et universas mentium cogitationes intelligit. »

2. — S. Cyrillus Alexandrinus discipulos de illa
scientia locutus fuisse dicit, per quam Christus
eorum cogitationes et intentionem penetrabat;
quasi dicerent : « Cum occultas cogitationes agno-

« scas, et interrogationes, quas ipsi facturi eramus,
« prævenieris, te exisse a Deo credimus; mentis
« enim penetrabilia et cordis arcana perspecta hæ-
« bere, solius Dei est. »

3. — Theophylactus in his verbis, discipulorum
imperfectiorem considerat, utpote qui tunc, non
vero antea dicebant : *Nunc scimus*, cum tamen jam
multo tempore in ejus fuissent schola edocti : « Qui
« enim tantas audierant doctrinas, dicunt : *Nunc*
« *scimus.* » Dionysius vero Carthusianus in horum
verborum expositione, ipsos excusare vellem videtur,
quasi dixissent : « *Nunc scimus* pro fide et expe-
« rientiam quandam, quod scis omnia. »

4. — S. Thomas discipulos tria specialiter de
Christo confessos fuisse considerat : « Doctrina
« videlicet claritatem, scientie certitudinem et
« divinam originem. » Primum quidem, quia di-
cunt : *Ecce nunc palam loqueris et procerbium nul-
lum dicis.* Et vero, ut Angelicus Doctor optime no-
tat, si attente omnia consideremus verba Evangelii
presentis, in nullo alio sacre Scripture loco, origo
Christi adeo manifeste declaratur, quam hic; siqui-
dem ait : *Palam de Patre meo annuntiabo vobis*;
Exiit a Patre et veni in mundum, et ideo creden-
« tes hæc promissionem, quia dixit, veritas de Patre
« meo, etc., eis compleant fuisse, ita ut non alia
« manifestatione indignant, dicunt : *Ecce nunc pa-
« lam loqueris.* » Secundum vero, id est, scientie
certitudinem confessi sunt dicentes : *Nunc scimus,
quia scis omnia*, et quidem in superficie verborum
« satis evidens argumentum est certe et perfecte
« scientie, quando quis manifestat quæ dicit, sed
« tamen hoc Apostoli dicunt, propter aliam inten-
« tionem, quia scilicet Dominus scit omnia cordis
« eorum secreta et de his quæ dubitant, satisficit. »
Divinam denique originem constentur, quando ma-
nifestis verbis dicunt : *In hoc credimus, quia a Deo
existis*, « scire enim omnia et omnia secreta cor-
« dium, est proprium divinitatis. »

5. — Dionysius Carthusianus super illa verba :
Non opus est tibi, ut quis te interroget, subiungit :
« Quia tu nosti dubitationes, atque proposita cor-
« dium, unde non oportet tibi aliquid notificare. »

DOMINICA INFRA OCTAVAM ASCENSIONIS

EVANGELIUM JOANNIS, CAP. XV, VERS. 26

26. Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.

27. Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.

CAP. XVI, 1. Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini.

2. Absque synagogis facient vos, sed venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.

3. Hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me.

4. Sed hæc locutus sum vobis, ut cum venerit hora eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis.

Vensus 26.

Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.

Cum venerit Paracletus.

1. — Quia Salvator noster in hodierno Evangelio mentionem facit Spiritus Sancti, quem collegio Apostolico mittere claris verbis promittit, ideo sancta Ecclesia hoc ipsum fidelibus hodie prælegi instituit, ut hæc ratione fidelium corda ad eum digne recipiendum disponat et ordinet.

2. — Rupertus Abbas, *lib. XII in Joan., cap. xv*, Christum tribus modis Spiritum Sanctum specificasse notat : « Tribus distinctionibus hoc loco personam vel majestatem Spiritus Sancti descripta est, videlicet quia Paracletus, quia Spiritus veritatis est, quia a Patre procedit. Paracletum vocat, quia mittendus erat ad consolandum et animandum Apostolos, cæterosque fideles inter odia et persecutiones. » Divino etenim hoc igne inflammati et accensi in crudelissimis tormentorum carnificinis gaudabant et jubabant; et ut S. Thomas de Villanova, *Conc. de Pent.*, 1, ait : « Inter can- dentes prunas, et micantes gladios, inter stridentes dentes feras et rugientes leones, inter laniantes angulas letabundi laudem et gloriam Christo decantabant. »

3. — Hugo Cardinalis quoque glossat hoc verbum : « Paracletus, id est, consolator, consolatur nos in tribulationibus, nobis assistendo, refrigerium prestando, item mentem celestis dulcedine inebriando. » Dydimus similiter causam inquiri, cur Christum Spiritum Sanctum Paracletum denominaverit; dicit enim : « Ab operatione nomen imponit, reddit enim a perturbatione alienos, et incredibile gaudium tribuit, sempiterna enim lætitia in eorum corde versatur, quorum Spiritus Sanctus habitator est. » Unde in ejus festo sancta Mater Ecclesia canit : « Consolator optime, dulcis hospes anime, dulce refrigerium : in labore requies, in aestu temperies, in fletu solatium. » S. Thomas de Aquino in sermone, quem de Pentecoste habuit, tres modos, quibus Spiritus Sanctus nos specialissime consolatur, his verbis adducit. Primo scilicet : « Celestes consolationes largiundo; « I ad Thessal., 1, 6 : *In tribulatione multa cum gaudio Spiritus Sancti.* Secundo : Dona charismatum « in tribulationibus augendo : *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio*

vero spem; spes autem non confundit, quia charitus Dei diffusus est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum. Tertius modus, quo nos consolatur, est : Quanta sint gaudia, que recipiemus pro istis modicis tribulationibus, demonstrando : *Ipsæ Spiritus testimonium reddidit spiritui nostro, quod sumus filii Dei, si autem filii et hæredes, etc. Eius tunc enim quod non sunt condigne passiones huius ætatis ad futuram gloriam, quæ revelebitur in nobis.* »

4. — « Paracletus, » inquit Albertus Magnus, « qui et advocatus et consolator, pro me advocabit in mundo. » Hugo Cardinalis ait : « Advocatus dicitur, ut sciatur quod vincunt in causa contra Judeos. »

5. — Observandum est, quod priusquam Apostolis prædicaret, *Joan.*, xii, 6 : *Absque synagogis facient vos, etc.*, prius illis promittat Spiritum Sanctum, ad denotandum quod primo nobis virtutem et gratiam suam conferat, auxilia item et consolationes interiores spiritus, postea vero nobis tribulationem immittat, cujus contrarium mundus facit, is enim primo nobis immittit adversitates, in eodemque tempore nos plane destitit, *I Cor.*, 1, 8 : *Sicut abundant passiones Christi in vobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra.*

Quem ego mittam.

6. — Albertus Magnus hisce verbis hanc glossam addit : *Nec mittere posset, nisi ab ipso procederet.* Eandem quoque consequentiam Toletus exinde deducit, scilicet quod per hanc missionem Spiritum Sanctum ab ipso quoque procedere denotetur : « Si enim missus est a Filio, ab ipso procedit. » Jansenius notat, quod Christus hic brevibus verbis sanctissimæ Triados mysterium manifestet. « Notandum, Christum paucis Trinitatis mysterium complexum, dum Spiritum dicit mittendum, se missurum, sed a Patre. »

7. — Lucas Brugensis verba hæc de Spiritu Sancto explicat, Apostolis invisibiliter, et in situ visibili in die Pentecostes communicato : « *Mittam, partim invisibiliter in corda et animos vestros, partim visibiliter, præsertim in die Pentecostes.* »

8. — S. Cajetanus bene observat quod Christus Spiritum Sanctum prius a Patre mittendum dicit, nunc vero eundem a se quoque mittendum asserat : « Ut eandem operationem Patris et Filii, in quantum Deus est, intelligamus, ut indivisa angelicam opera Trinitatis. Ergo, demonstrat procul

« dubio Jesum secundum divinam naturam; solius enim Dei est mittere Spiritum Sanctum. »

9. — Enimvero id, quod summam in nobis admirationem excitare debet, est circumstantiam et conjuncturam temporis, quo Apostolis hanc missionem præstat, paucis nimirum horis ante passionem et mortem suam in celebri illo sermone in ultima Cœna habito, adeoque tunc Christus nobis se ærarium cœli aperturum esse promittit, ut inde nobis exprolet, superque nos copiose effundat thesauros donorum et gratiarum Spiritus Sancti, quando nos toti in eo occupati eramus, ut ad ipsum capiendum armarem adversus eum milites, patihula fabricarem, deciperemus spinas, clavos acueremus, et ad eum castigandum texeremus flagella; tunc ille nobis nectar et ambrosiam promittebat Paradisi, quando nos ipsi fel præparabamus et acetum ad bibendum. Ita est; hic semper stylus fuit Christi, ut bonum nobis pro malo abunde redderet, nobisque tunc vel maxima impertiatur beneficia, quando nos ipsi exhibemus rebelles et impios. Quod si promissio isthæc ab æterno Patre, et alio tempore facta fuisset, tantum nobis nequam causaret admirationem, nunc vero Christus ipse dicit : *Quem ego mittam*, et eo quidem tempore mittam, quo homo carnifices quærit ad me crucifigendum. Quando milites Syriæ impetum faciebant in Elisum, ut eum caperent et necem illi inferrent, ipse contra de illis, quos iis minime advertentibus, in Samaria reclusos, in sua polestale habebat, aliam non sumpsit vindictam, quam quod egregium illis prandium ad eos reficiendos instruxerit : *Apposita est eis ciborum magna præparatio*, ideoque typus fuit nostri Redemptoris, qui eadem die, qua ad eum capiendum egressuri erant milites : *In qua nocte tradebatur, accepit panem*, augustissimum illud instruxit sacrosancti Corporis sui convivium, eisque dono dedit thesaurum adeo inestimabilem, ut ne quidem ipsiusmet Dei omnipotentia dare eis quiverit majorem. Quodnam putas Dei Filium præparasse aut designasse arborem illam, in qua redemptionis nostræ exsolveret litrum? Nimirum in eodem quasi temporis momento, quo protoparentes nostri ipsius legem prævaricando, tanto cum contemptu et ingratitude ipsam offenderunt; tunc enim Paradisum terrestrem obambulavit, ut arborem sibi designaret et eligeret, in quam configi volebat : « De parentis protoplasti fraude factor condolens, quando pomi « noxialis morsu in mortem corrui, ipse lignum « tunc notavit, damna ligni ut solveret. »

Vobis.

10. — Valde considerabilis est hæc dictio, siquidem non Hebræis, non synagogæ, non idololatriæ Spiritum Sanctum promisit, sed Apostolis, quia non omnes sunt capaces et dispositi ad eum reci-

piendum. Eisdem dixerat, *Joan.*, xv, 3 : *Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* In Ezechiele, xxxvi, 27. Deum dixisse legimus : *Spiritus meus ponam in medio vestri*, at vero notandum quod immediate subjungat : *Et faciam ut in præceptis meis ambuletis, et iudicia mea custodiatis*; clarius enim aut evidentius signum, unde Spiritum Sanctum liberum in animam quamquam aditum habuisse agnoscere possumus, dari nequit, quam si eandem in divinorum præceptorum adimplentione zelosam et ferventem esse conspiciamus. B. Petrus Damianus in sermone de Pentecoste sancte gloriatur : « Nos spiritum huius mundi non accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est; » mox vero, qualis uterque spiritus sit, distinguit et declarat, dum ait : « Quis est autem spiritus mundi? Ille profecto est, qui suadet homines divina præcepta contemnere. » Propheta regius os suum se aperuisse, sicut spiritum recepisse profiteatur, quod idem est ac si diceret, per ferventissimam orationem me Spiritus Sancti recipiendi reddidi capax et dignum, cxviii, 131 : *Os meum aperui, et atravi spiritum*; protinus autem subjungit : *Quia mandata tua desiderabam.* Lucas Brugensis dicit : « Vobis in solatium, consilium, et auxilium loco presentia: meæ corporalis. »

A Patre.

11. — Id est, ut Theophylactus exponit, « ap- probante, Patre, et simul mittente. » Interlinearis dicit : « Ecce quod Pater mittit. »

12. — S. Thomas, in *Joan.*, ait : « Quia scilicet Filius, quicquid operatur, habet a Patre. » Interlinearis Christum dicere voluisse declarat, quod Spiritum Sanctum ex sinu Patris missurus sit, ad denotandum quod et ipse a Patre procedens erat : « Ecce quod et Filius mittit a Patre, a quo ipse est. » Toletus ait : « Hoc verbum explicat, ita Filium mittere Spiritum Sanctum, ut a Patre accipiat essentiam, quia una cum Patre producat Spiritum Sanctum. »

13. — S. Joannes de adventu Spiritus Sancti disserens, ait, *Joan.*, vii, 39 : *Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus*; tunc autem glorificatus fuit, quando ad sanctissimæ Triadis thronum ascendit, adeo dicere voluit quod tunc illum missurus esset, quamprimum ad Patris dexteram sederet.

14. — Considerari etiam hoc loco potest, quod, ex quo Pater Filium in terras miserat, eumque nos crucifixuramus, Pater justissimum motivum habuisse videatur, ut Spiritum Sanctum ad nos mittere detrectaret, et tamen Filius in cælum ascendit, ibidem tanquam advocatus et mediator noster Patrem placavit, eumdemque ad sanctissimum hunc Spiritum pro nostra salute et consolatione mittendum efficaciter permovit.

Spiritus veritatis.

15. — Notat hoc loco S. Bonaventura, Christum tertiam sanctissimam Trinitatis Personam, non solum Spiritum Sanctum, sed etiam Spiritum veritatis appellasse: « Quia omnia certissime novit. » Advertit Iamen Cajetanus quod Spiritum Sanctum in hac occasione Spiritum vocaverit veritatis: « Ad significandum quod erit Spiritus solus et totius veritatis eorum, quæ sunt necessaria ad salutem æternam. » Enimvero Apostoli prædicationem Evangelicam, intra breve tempus, inter multas oppositiones et persecutionum ærumnas, instituentem aggressuri erant. Merito igitur, inquit Aleni- nus, celestis hujus Spiritus mentionem fecit, tanquam Paraclæti et Spiritus veritatis: « Ut et fiduciam habuissent prædicationis in Spiritu veritatis, et consolationem gratiæ in eodem Spiritu. »

16. — Quidquid Ecclesia nobis in libris sacre Scripturæ canonicis credendum proponit, et quæcumque eadem in materia fidei per suum pastorem et fidei vicarium determinat, et fidei divina credenda definit, illa omnia indubitata sunt et certa, eo quod præcipuus talis decisionis auctor est Spiritus Sanctus, qui eadem tanta cum infallibilitate assistit, ut nunquam in materia fidei errare possit. Albertus Magnus ad lectum illum Joannis, xvi, 16, reflectens, ubi dicitur: *Docebit vos omnia, et suggeret vobis omnia, quæcumque dixerit vobis*, subjungit: « Ideo hunc Spiritum accepisse, didicisse est omnem veritatem. » *Psalm. xlii, 3: Emitte lucem tuam et veritatem tuam.* Per hanc etenim lucem Spiritus Sanctus intelligitur, ita enim in prosa, quam in die Pentecostes ad Missam canimus, appellatur: *O lux beatissima.*

17. — Porro hic Spiritus veritatis se subito post suum adventum experimentaliter manifestavit, quando Paganismi errores et ignorantiam, et profanorum numinum falsitatem detexit, et gentiles, qui in confictis Jovis, Saturni, et aliorum deorum simulacris suis, patrem mendaciorum, dæmonem adorabant, ad sinceram fidem permovit.

18. — Christianus omnis, qui veritatem diligit et mendacium detestatur, et omnem fictionem et cordis duplicitem abhorret, satis aperte in se Spiritum Dei esse ostendit; e contra vero quando aliquis mendax est, manifestum id est indicium, quod dæmon partem in eo habeat, *Joan., viii, 44: Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est et pater ejus.* Super quæ verba S. Thomas ita scribit: « Ponit peccatum dæmonis contra Deum, quod consistit in hoc quod avertit se a veritate, quæ Deus est, et primo ostendit eum a veritate aversum; secundo ostendit eum veritati contrarium. » Dæmon primus fuit inventor mendacii, cum Deo, qui veritas est: *Ego sum via, veritas, et vita, nec non Spiritu Sancto, qui Spiritus*

est veritatis, contrarius existat, quid mirum igitur, si mendax sit, et fallacissimus deceptor? nihil ille aliud cogitat, nihil aliud molitur quam ut totum humanum genus fraudibus suis circumvenire, decipere et seducere possit; hocque venenum nobis instillare satagit, de quo B. Laurentius Justinianus ita nos monet: « Quantum in mendacibus est, immortalem et æternam veritatem, quæ Deus est, destruiere moluntur, hoc vero dam agunt, illam in nullo lædunt, illi nequaquam detrimentum inferunt, sed se perimunt, quemadmodum in Sapientiæ volumine continetur; sic enim hoc habet, *Sep., i, 11: Os quod mentitur, occidit animam.* »

19. — Notat Jansenius quod Christus Salvator noster postquam Spiritum Sanctum appellasset Paraclætum, mox illum quoque vocaverit Spiritum veritatis: « Idque apposuit, ut, quia illum dixit perhibitarum testimonium, ostendat eum fide dignum. » Unde Chrysostomus, *Hom. xvi in Joan.,* ait: « Ille dignus fide erit, veritatis enim est Spiritus, propterea non Spiritum Sanctum, sed veritas appellat. »

Qui a Patre procedit.

20. — Id est, ut inquit Toletus: « Consubstantialis est Patri, » qui et S. Ambrosius citat dicentem: « Ac si diceret: Spiritus hic Paraclætus, quem mittam a Patre, non est creatura aliqua, sed Patri et mihi consubstantialis. »

21. — S. Chrysostomus, *Hom. lxxv,* ait: « Si procedit a Patre, omnia novit, ut sit perfectus Doctor veritatis. »

22. — Lucas Brugensis verbum *procedit* examinans, dicit: « Procedendi vocabula obtinuit in schola christiana; » adducitque auctoritatem quandam Dydimi, *lib. II de Spiritu Sancto, dicentis:* « Procedit non ad alia transmigrans, non enim locorum sine clauditur, cum sit incorporatus; sed manens in Patre, et habens illum in semetipso, sicut Filius a Patre, non separatur, nec distinguitur ab eo. »

Ille testimonium perhibebit de me.

23. — Toletus optime observat quam sit hoc testandi officium Spiritu Sancto aptum et congruum: « Si enim missus est a Filio, ab ipso pro- cedit, eum perfectissime novit. *I Cor., ii, 11: Nemo novit quæ sunt Dei, nisi Spiritus Dei; est autem hoc necessarium in eo, qui perhibitarum est testimonium de aliquo, ut ipsum optime noscat.* »

24. — Adhoc ad Apostoli, inquit Theophylactus, a prædicatione Evangelii et a novæ legis gratiæ promulgatione coram omnibus populis faciendæ se subducere non possent, dicendo: « Quomodo digni fide erimus? quis ad nos attendet? ideo subdit:

« *Cum autem venerit Paraclætus, ille testabitur de me.* Bono animo sitis, prædicationis non caritura est testibus, sed et Spiritus cum signis et prodigiis meis testabitur, fidelisque testis erit: est enim Spiritus veritatis. »

25. — Rupertus Abbas Tuitiensis, *lib. XII in Joan.,* prouide ait: « Glorietur fides, exultet spes, gratuletur charitas, quia videlicet huic Filio hominis, in quem credimus, in quo speramus, quem diligimus, non desunt Trinitatis testimonia, nec vacet amplius procacitati Judaicæ dicere: *Tu de teipso testimonium perhabes, testimonium tuum non est verum.* »

26. — Toletus convenientiam et necessitatem considerat, qua Apostoli testimonio Spiritus Sancti, ad testimonium suum corroborandum, opus habebant: « Magno et plane divino consilio factum est, ut testimonio a discipulis reddendo præmitteretur et promitteretur testimonium Spiritus Sancti. » Hic namque divinus Spiritus per suum adventum et medio sustulit omne obstaculum, quod illos deterere poterat, quo minus Christum, tanquam Dei Filium et Redemptorem mundo annuntiarent. Et quidem idem Toletus multa impedimenta adducit, quæ huic fidei attendendæ obstaculo erant. Primum enim erat, humilitas Christi, siquidem paulo ante a Judæis crudeli et infami morte interemptus fuerat et ideo unicuique contemptibilis esse videbatur. Secundum, diffidentias persuadendi, quod is, qui paulo ante tanquam latro crucifixus fuerat, verus Dei Filius esset. Tertium, erat periculum, cui se exponebant, ne et ipsis mors similis subeunda esset, utpote qui ejus, quem totus Judæismus acerbissimo odio prosequabatur, sequaces et discipuli erant, maxime cum ipsemet Christus ipsis perspicuis verbis prædixisset, quod suam pro illo vitam dari essent. Quartum, erat illorum ruditas et ad prædicandum illorum indoneitas, utpote qui vilius natalibus oriundi, idiotæ, illiterati professione abjecti erant omnique auctoritate, aut favorum humanorum subsidio destituti. Qua igitur ratione per universum tantum mysterium prædicare audent? Et tamen omnes hæc difficultates, quantumvis alias humanitus insuperabiles, per hanc promissionem superabantur et evanescebant? « *Testimonium perhibebit Spiritus Paraclætus veritatis, qui a Patre procedit et quem ego vobis mittam.* Primo quidem, « ne videatur vobis vile et contemptum officium et testimonium, quod ille, qui a Patre procedit et ipsi est consubstantialis, est perhibitarum. Rursum, ne timeatis non posse vos arduam veritatem persuadere; ille enim Spiritus veritatis, qui omnia scit, qui quæcumque vult, docet et persuadet vobiscum et per vos reddet testimonium. »

27. — Ad hoc ut testis aliquis plene testificetur, ejusque depositio recipiatur, tria præcipue requiruntur; scientia nimirum, integritas et auctoritas. « *Cum autem venerit Paraclætus, ille testabitur de me.* Bono animo sitis, prædicationis non caritura est testibus, sed et Spiritus cum signis et prodigiis meis testabitur, fidelisque testis erit: est enim Spiritus veritatis. »

28. — Lucas Brugensis dicit quod Spiritus Sanctus divinitatem Christi testificatur erat, per miram illam mutationem, quæ in Apostolis facta fuit: « Per vos enim subito mutatos in viros alios, ex rudibus sapientes, ex infantibus desertos, ex idiotis loquentes linguis omnium gentium, ex imbellibus et meliculis fortes et constantes redditos. » Denique idem Spiritus non solum Apostolis, sed post hoc multis aliis dona sapientiæ, eloquentiæ, linguarum, prophetiæ, miraculorum, etc., communicavit, quæ omnia evidenti divinitatis Christi signa erant *contestante Deo signis et prodigiis, inquit Apostolus, Heb., ii, 4, et variis Spiritus Sancti distributionibus.* S. Cyrillus Alexandrinus ait: « *Perhibebit autem testimonium, sed quomodo? operando nimirum in vobis et per vos miracula, testis erit justus ac verax divinæ mee potestatis atque majestatis.* »

29. — S. Thomas, *in Joan.,* aliud quoddam Spiritus Sancti testimonium, intrepidum Apostolorum animum fuisse dicit: *Fiduciam eis præbente ad testificandum. Matth., x, 20. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus, etc.*

30. — Toletus conveniens fuisse dicit, ut Spiritus Sanctus interveniret, ad hoc ut Christus innotesceret mundo, quia Spiritus Sanctus quodammodo causa fuit quod Christus hanc nostram sibi assumeret mortalem carnem, ut constat ex *Joan., iii, 16, ubi dicitur: Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret; hic autem amor, quo Deus mundum dilexit, est Spiritus Sanctus. Adhæc cum Spiritus Sanctus per os Prophetarum locutus fuerit, ipse utique fuit, qui Christum omnibus superioribus sæculis promiserat, quique cum, posteaquam in terram venisset, omnibus donis et gratis suis repleverat. Act. Apost., x, 38: Unxit eum Spiritu Sancto. Quibus addi potest, Spiritum Sanctum, beatissimam Virginem divino hoc partu fecundasse: « Incarnatus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine. » Unde Toletus concludit: « Debit ergo de ipso post adventum testimonium reddere. »*

31. — Lucas Brugensis Christus dicere voluisse inquit: « *Testimonium perhibebit de me, quia ego sum et quam iniquo odio illi me prosequantur; testabitur me esse Christum Filium Dei, ab ipsis quidem injuste occisum, a Deo Patre autem resuscitatum, exaltatum, atque ad dexteram æ ipsius in cælis collocatum.* »

32. — Beda quoque effectum hujus a Spiritu Sancto perhibiti testimonii, tot obstinatorum et induratum Hebræorum, ad fidem Christi conversionem fuisse notat, quem paulo ante crucifixerant: « Compuncti corde conversi sunt et tanti sanguinis, tam impie alque immaniter effusi indulgentiam perceperunt, ipso redempti sanguine, quem fuerant. Tanquam diceret: Odio me habuerunt et occiderunt videntes, sed tale de me testimonium Paracletus perhibebit, ut eo faciat in me credere non videntes. »

Additiones.

a. — *Cum venerit Paracletus quem ego mittam vobis a Patre.* Paracletus idem est ac advocatus et orator. Secundo idem valet ac exhortator et incitator. Tertio idem est ac consolator. Et optime quidem dicitur consolator; ille enim est effectus Spiritus Sancti proprius, consolari: ita ut illo dotati, nedum quaslibet vincant adversitates, aut illis terreatur, sed potius in illis et per illas maximas præbet consolationes. Maxima enim est divinarum dulcedinum abundantia, quibus Deus dilectas sibi animas demulcere solet. Quam inappretiablem suavitatis, dulcedinis et consolationum spiritualium multipliciter exuberantiam, regius exhibiturus vates, eam torrenti, mox sacrosanctæ enim christiati assimilare non dubitat, *Psal. xxxv, 9*, inquit: *Torrente voluptatis tue potabis eos; inebriabuntur ab ubertate domus tue.* S. Hieronymus exponit: « A pinguedine gratiæ Spiritus Sancti, » qui per domum intelligit Ecclesiam: *Domus tua, sanctæ Ecclesiæ.* Per deliciarum voluptatumque torrentem, affluentiam designans Spiritus Sancti, cujus fructus dum varios enumerat Apostolus, secundam inter eos sedem gradibus tribuit et lætitiæ, inquit, *Gab., v, 12: Fructus autem Spiritus, caritas, gaudium.* « Torrens voluptatis Dei Spiritus Sanctus est, » inquit hic S. Doctor, « qui irrigat omnem animam spiritualis fluentis, ut fructum exhibeat sancti-tatis. » Cui Glossa et illa consonat præceptoris Angelici, dum ait: « Hic est amor Spiritus Sancti, qui facit impetum in anima sicut torrens voluptatis; quia voluptatem et dulcedinem in anima facit. » Vel ut magister ejus Albertus Magnus explanat: « *Torrentem voluptatis*, id est, amore tuo delectabili et voluptuoso, et inefficenter abundanti. » Cajetanus legit: *Satiabuntur de pinguedine domus tue et torrente deliciarum tuarum potabis eos;* propter cum Deo familiaritatem et conversationem: « Quia domestici Dei erunt, satiabuntur de pinguedine domus tue. » An non multis ante sæculis, hanc consolationum spiritualium abundantiam, in gratiæ et legis Evangelicæ statu conferendam spondenderat Dominus, *Isa., lxvi, 12*, inquit: *Ece ego declinabo super eum quasi fluvium pacis, et quasi torrentem inundantem? Imo*

vero, quoniam *fluminis impetus lætificat civitatem Dei.*

S. Franciscum Xaverium, novi mundi conversorem, medias inter persecutiones, labores et sudores, tanta spiritualium illecebrarum obruit copia, ut vel invitus exclamare coactus fuerit: « Satis est, Domine, satis est. » Quidam temporum nostrorum orator, in sermone panegyrico, in Sancti hujus laudem composito: Cur, inquit, clamas, o Seraphim: satis est, Domine, satis est? Ergone peccus illud, cujus amplitudo vastam mundi hujus transcendit immensitatem, exilis subito implet, satiatque flamma? Coelestibus igitur gratis cor illud ocludis, quod ultro citroque gladiis patefecisti barbarorum? Ergone tu, qui medias inter gravissimas tribulationes, dispendia, mortes, nunquam dixisti: Satis est; tu inquam, vel unice victus cedis scinilla? Igitur sine illum amplissimum, qui incredibili cum charitate, omnes concludere gestiebat animas, divini favores incapacem adeo, angustumque reddiderunt? Ita sane. Animum humanum, ut ait quidam Sanctus, res mundana occupare possunt, non replere; cum enim divinitatis effectus sit capax, solus eum Deus seipso satiare potest. Huc usque citatus auctor. Vere utique in S. nostro Philippo Nerio, prout in vita ejus traditur fusiis, illud Apostoli legimus adimpletum assertum: *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio.* Qui proinde merito, ut alii astruunt, cum Ephremo, dicere poterat: « Contine, Domine, undas gratiæ tuæ et recede a me, quia non possum sustinere magnitudinem dulcedinis tuæ. »

b. — Mittebat Dominus discipulos suos ad prædicandum Evangelium per totum mundum, dicebatque eis, ut *fructum plurimum afferatis.* Ex quo maxime turbari poterant discipuli et dicere: Domine, si te non audierunt, qui fecisti tot et tanta signa, que nemo alius fecit, quomodo nos audient, qui multo te sumus inferiores? Conceptus hic est D. Chrysostomi, *Hom. lxxv in Joan.* Unde inquit, ne igitur hæc cogitantes turbentur, consolationem induci, dicens: *Cum venerit Paracletus.* Quia adversitatibus pulsandi erant, hinc consolationem promittit. Consolationes enim spirituales, quæ se ad voluntariam omnium aliarum contradictionum extendunt tolerantiam, relationem habent ad passiones quas quis subit ob amorem Dei, et non ob alios respectus.

Ne fides nostra in mediis contradictionum tempestatibus titubaret, anchoram Apostolus nos jacere jubet in dubitate spei, fore ut si propter Deum patiamur, divinarum quoque consolationum participes evadamus: *Spes nostra firma sit pro vobis, scientes quod si socii passionum estis, sic eritis et consolationis.* II *Cor., i, 7.* Circa quæ verba, Cajetanus particulam *scientes*, considerans, ait: « Certi simus, quod quemadmodum in nobis abundan-

« tiam afflictionum comitatur abundantia consolationis, ita in nobis participatio afflictionum comitatur participationem consolationis. » Id quod Apostolus in seipso expertus fuit dum maximas inter angustias celestium abundat consolationum suavitate, prout sæpe sapius ipsemet attestatur, quemadmodum S. Lucas de Apostolis tractans, *Act. Ap., v, 41*, scribit: *Urant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt, pro nomine Jesu, contumeliam pati.* « Consolantur in ipso corde, » inquit Carthusianus, « copiosam exultationem concitando ex contemplatione divinarum, sic ut tribulationis acerbitas vix sentiatur. » Ad eandem nos fiduciam animaturus Apostolus Petrus, I *Epis., iv, 3*, ait: *Communicantes Christi passionibus, gaudete ut in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes.* Circa quem textum Hugo Cardinalis discurrit: « Primo oportet, ut simus fratres Christi ex parte Matris, ut tandem simus fratres ex parte Patris. » Mater Jesu est Maria, quæ interpretatur amara: hæc est tribulatio, vel penitentia. Pater ejus est Deus: *Ego dixi: Dii estis*, id est, Domini. Si vis « habere secundum, scilicet ut sis frater in gloria, neesse est ut habeas primum, scilicet, ut sis frater in penitentia. »

c. — Non sine mysterio Christus Dominus inmentem facit hic de Spiritu Sancto mittendo. Illud pulchre pandit Cajetanus, dicens: « Ad cumulum inexcusabilitatis persecutorum nominis mei accedet multiplicatio lætium; nam ultra prædicatio nem meam et opera mea, superveniet Spiritus Sanctus testis; adjungemini et vos testes. » Demonstravit Christus Dominus divinitatem suam, sua admirabili prædicatione, multis ac magnis operibus et miraculis, quæ nullus alius fecit; insuper nunc adhibet testimonium ex Spiritu Sancto adveniente, ac ex ipsismet Apostolis, ut omnino esset inexcusabilis malitia Judæorum, qui jam ante erant inexcusabiles; ac proinde hæc una ex causis est, cur Christus Dominus Judæis se in eum credituros, si de cruce descenderet, promittentibus, descendere noluit. Promittentibus autem quod adimplere volebant, ideoque per derisum et ludibrium dicebant: *Si Rex Israel est, descendat nunc de cruce, et credimus ei.* Subdit vero S. Hieronymus, in *Matth.*: « Quid est plus, de cruce adhuc descendere viventem, an de sepultura mortuum resurgere? Resurrexit et non credidistis: ergo si etiam de cruce descenderet, similiter non crederetis. » Omnino utique inexcusabilis erat malitia Judæorum. Quid ergo dicendum de malitia multorum Christianorum, qui inter tot prædicationes, tot visa miracula, nomine Christianorum quidem insignantur, sed sine fructu.

d. — Christus Dominus ideo promissionem hanc facit Apostolis, mittendi Spiritus Sancti, paucis horis ante Passionem, illius enim mos semper hic fuit ut bonum nobis pro malo abundanter redderet, nobis

que tunc vel maxime sua impertiat beneficia, quando nos ipsi exhibemus rebelles et impios. S. Anselmus, super illa verba Apostoli, *Rom., ii, 4: Dicitis bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis, pulchre novis, quia in re divine bonitatis et longanimitatis divitiæ consistant, exponit dicens: « Divitiæ bonitatis Dei in hoc manifestantur, quod tanta quotidie in terris mala faciunt homines, et tamen eis Deus solem suum producit, et pluvias ministrat, aliaque multa bona largiatur, blandiens, ut ad penitentiam per beneficia provocet. » Neque Deus solum in gratis suis, etiam illis, qui ipsum offendunt communicandis, liberalis solum est erga nos fideles, qui Christianorum character signati sumus, verum etiam erga illos qui demones in falsis numinibus adorant, ut bene observavit S. Bernardinus inquit: « Admittenda est benignitas Salvatoris, quod talibus vitam et largiatur, et conservat, aliaque multiplicia dona perfectissima largitate præstare non cessat, qui non solum vita ipsa indignissimi erant, sed etiam omni alio bono, præsertim cum ipsis bonis, quæ ab ipso Creatore accepisse illos manifestum est, non solum execrabili abutuntur, sed etiam Creatorem benignissimum nequissime impugnant. »*

e. — Non sine magna ratione mysterium Christus Dominus, hoc in loco Apostolis prædicit advenit Spiritus Sancti, cum enim mittendi essent in universum mundum, prædicare Evangelium et simul perhibere testimonium de Christo, voluit illis ostendere etiam inter litterarum ignorantiam hæc illis virtus superveniret, nempe non ab homine, qui sicut fallax est, sic et prædicata fides ejus fallere potest; sed a superveniente virtute Spiritus Sancti qui cum Spiritu sit verax, docens Apostolos optime concluditur evidentissimum veræ fidei argumentum esse, quod illa in tam brevi temporis spatio, per homines idiotas et illitteratos tanto cum fructu, ad omnes populos extensa sit. Hoc enim clare fidem probat esse veram, quando ejus propagatio omnem humanam excedit facultatem.

S. Bernardinus in quodam sermone de fide, disserens, tria hæc ponderanda esse dicit, scilicet: « Primo, quoniam hanc fidem prædicaverint; secundo, quod prædicaverint; tertio, quibus prædicaverint. » Hæc enim tria, inquit Sanctus, si attentè considerentur, clare totum mundum non sine miraculis ad Christum conversum fuisse apparebit, quamvis, inquit, maximum hoc miraculorum fuerit; citatque auctoritatem S. Augustini dicentis: « Non minus incredibile est, homines ignobiles, infirmos, paucissimosque, quæ imperitis, rem tam incredibilem tam efficaciter mundo et in illo etiam doctis, persuadere potuisse, ut mundus illa credat, sicut et credidisse videtur. » Hi qui prædicaverunt fidem primitus, non fuerunt philosophi, nec oratores, sed piscatores rudes et igno-

rantes, litterarumque expertes. Unde S. Bonaventura S. Ambrosium citat, *lib. de fide*, v, dicentem: « In his quae fidei sunt, piscatoribus creditur, non « dialecticis. » Etenim a cenaculo duodecim egressi sunt piscatores, ut ad plantandam Ecclesiam per totum se mundum diffunderent, viri humillimis oriundi natalibus, qui non tam calamis, quam remis tractandis assueti, libros nunquam pervolverant, sed lacera potius retia reparare noverant, et tamen praedicatione sua cunctos mundi sapientes ad fidem compararunt.

Quid praedicaverunt? Ubique idololatria, superstitiones, magia incantationes et atheismi inundabant: *Dominus de caelo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens aut requirens Deum. Omnes declinaverunt, simul inviles facti sunt. Inter ipsos denique Judaeos, non solum Caesar, sed et Barrabas Messiae praeferebatur. In quavis aetate, sexu, statu et professione, impietates, incestus, sacrilegia, rapinae, stupra et strages impune regnabant: Totus mundus in maligno positus erat. Haec autem erroneam, ignorantiam, malitiae et sacrilegiorum perniciose lola, et stirpes duodecim istorum pauperum praedicatione eradicanda erant. At vero quaenam, obsecro, doctrinam per illos tradenda erat? Difficillima profecto, omnemque exsuperans intellectus humani capacitate, longaeque difficilior voluntati ut eam amplecteretur.*

Illi autem nudipedes et pauperuli piscatores philosophis, oratoribus, aliisque terrae hujus sapientibus persuaserunt, ut illum qui in monte Calvario crucifixus fuerat, verissimum mundi Creatorem, nec non et Judicem supremum firmiter crederent, qui in judicio finali, in tremendo tribunali universum judicaturus est genus humanum, qui ad gloriam electos praedestinavit et ad infernum condemnat reprobos; qui voce sua omnibus cadaveribus resurgendi impertitur facultatem. Haecque eorum praedicatione eo usque prevaluit, ut pro profitenda, quam ipsi praeconebant legem, integra meri sanguinis Christiani flumina manare fecerunt; siquidem martyres certatim ad carnificinas et tyrannorum lanienas properabant, ut vel feris obicerentur in theatris, vel viri flammis Vulcani consecrarentur, aut aliis atrocissimis dilaniarentur suppliciis.

F. — Dixerat aliquando Christus Dominus agens de Spiritu Sancti adventu, *Joan.*, xiv, 26: *Paracletus autem Spiritus quem Pater mittit in nomine meo; sed quid est mysterii quod in presenti hanc missionem sibi adscribat? Quem ego mittam vobis a Patre? Ratio est ut ex tanto dono hominibus concessio, homines sibi quoque habeat devotos et obligatos vinculo gratitudinis: quod Deus semper et omni tempore ab hominibus postulavit. S. Bernardus, *Serm.* 1 in *Cont.*, optime considerat quod ad testificandum per omnia saecula erga Deum benefactorem nostrum debitam gratitudinem, varia*

composita fuerint hymnorum et carminum genera. « Cecinit, » inquit, « Israel carmen Domino, quando « gladium pariter et jugum evasit Pharaonis, gemino magis mirabiliter liberatus simul et vindicta: catus obsequio; cecinit Debora; cecinit et Judith; cecinit et mater Samuelis; cecinerunt, ne ingrati « divinis beneficiis invenirentur, juxta illud: *Confitebitur tibi cum benefeceris ei.* » Nullum Deus huic populo praestitit exitium beneficium, quin debitam semper ab eo exigeret vicissitudinem. Unde pro eo quod eos ab Aegypti fornacibus eripuerit, quovis anno in recepti beneficii memoriam, agnum paschalem sacrificari voluit. Quando manna depluit, ad perpetuam hujus beneficii memoriam vas conservari jussit in Arca, dicto manna refertum.

Longe autem exactius hanc gratitudinem Deus in lege exigit Evangelica, quae non sine causa, lex gratiae denominatur, Isaia ita prophetante: *Invenietur in ea gratiarum actio et vox laudis.* « Et hoc « notandum, » inquit S. Hieronymus, « quod in « Sion, quae comparatur Paradiso Dei, » aliud esse non debeat, nisi gaudium et letitia, confessio et vox laudis, ut quod in oculis acturi sunt Sancti, et cum Angelis Dei, hoc etiam in terra, « jugiter in « Domini laude meditentur. » Quapropter etiam quotidianam apud nos vigili incrementi usus et ritus sacer sacrificii, in quo Sacerdos omnes fideles, ut in Ecclesiae triumphanti conformiter, invitat his verbis: « Gratias agamus Domino Deo nostro. » Cui per ministrum populus respondet: « Dignum et justum est. » Quod confirmans Sacerdos addit: « Vere dignum « et justum est, aequum et salutare, nos tibi semper « et ubique gratias agere, » etc. Postquam ergo continuatur quas Angeli divinae Majestati exhibent, laudum, gratiarumque meminit Sacerdos, nostram quoque reverenter subjicimus supplicam, in haec verba: « Cum quibus et nostras voces, ut admitti « jubeas deprecamur, supplicii confessione dicentes: « Sanctus, Sanctus, Sanctus, » etc. Hoc quoque ipsum specialiter tributum a primis fidelibus novimus exigisse Apostolum, dum ait, *Ephes.*, v, 19: *Implemini Spiritu Sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino: gratias agentes semper pro omnibus.*

G. — Spiritum dicit veritatis: *Quem ego mittam vobis a Patre Spiritum veritatis,* quia est quoque Spiritus sanctitatis, quam sanctitatem non inani furo palliatam, sed in veritate Apostolos docebit; cum e contra diabolus in Angelum lucis se transformans, multas per hypocrisis falsitatem seducat animas. Certissimum est Satanam sub horribilis draconis nomenclaturam nobis representari a S. Joanne, *Apoc.*, xii, 9, dum ait: *Projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus et Satanas, et projectus est in terram.* Ex Empyreo namque in terram tanto corrumpit impetu, ut ejus

aperuerit et penetraverit centrum, ubi abyssus est, dicente Spiritu Sancto: *Tenebrae erant super faciem abyssi.* Infernus igitur caligine, tenebris et igne lucis experte repletus est; et nihilominus transfiguratur se in angelum lucis. Quo autem titulo eundem spiritum infernale celestis affecit Magister? Titulo fulgoris, dum ait: *Videbam Satanam sicut fulgur de caelo cadentem,* quia scilicet totum studium et industriam suam in eo collocat ut suam occultet malitiam; unde Venerabilis Beda dicit: « Quod « autem ait: *Sicut fulgur,* vel praecipitem de « supernis ad ima lapsum significat, vel quia de- « jectus adhuc transfiguratur se in Angelum lucis. » Cui simillimus est hypocrita, daemonis indissolubiler confederatus, quem Bellovacensis proinde sequenti depingit colore: « Similis est Angelo « Satanae qui se transfiguratur in angelum lucis, « quia hypocrite extra sunt homines, sed intus « sunt demonia; Angeli sunt in exteriori appa- « rentia, sed interius sunt angeli Satanae in lucis « Angelos transformati, ut decipiant homines simu- « la sanctitate. »

Certo certius si primi parentes nostri sibi Luciferum consultorem esse intellexissent, nunquam nec pomum attractare, nec aures suggestui prebere praesumpsissent, utpote quem Dei et hominis noverant inimicum; delusi itaque fuerunt, quia consilium hujusmodi credebant sincerum, et a bono derivatum amico; ideoque S. Bernardus ait: « Quam « incongrue simplicitati duplicitas admiscetur? « quam indigne tali fundamento talis structura « committitur? Hujusmodi sibi versutum serpens « induerat, cum se, ut deciperet, consiliarium « exhibebat, simulabat amicum. »

Enimvero si prima principia examinare voluerimus omnium haeresium, quae in Ecclesiam Dei introductae fuerunt, easdem ut plurimum, a talibus personis seminatam et nutritas esse inveniamus, quae sanctitatem et catholice religionis zelum simulatorie praese tulerunt. S. Bernardus, *Serm.* xxx in *Cont.*, illud propheticum oraculum de Ecclesia adimplens dicit: « *Ecce in pace amaritudo mea « amarissima.* Amara prius in nece Martyrum, « amarior post in conflictu haereticorum, amaris- « sima nunc in moribus domesticorum. » Haec enim ultima persecutio omnium aliarum est truculentissima, alluditque ad eos, qui sub perfectionis et sanctitatis specie, suam occultant malitiam; haec enim tempestas et stragagemata est insigne demonis contra fidem. Unde idem mox subjungit Sanctus: « Sed inquam in pace? Et pax est et non est pax: « pax a paganis et pax ab haereticis, et non profecto « pax a filiis. Vox plangentis in tempore isto: *Filios « enutrivit et exaltavit; ipsi autem spreverunt me. Spre-* « verunt et macularunt me a turpi vita, a turpi « quaestua, a turpi commercio, a negotio denique « perambulante in tenebris, quod est hypocrisis. »

H. — Ille testimonium perhibebit de me. Unicus fere Christus Dominus et in vita et in morte fuit injuriarum scopus, et jam ad illas injurias vindicandas Pater Christo dederat testimonium, dum in Jordane et Thabore, Patris vox super eum intonuit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit; ipsum audite.* *Math.*, iii, 17. Filius de seipso testimonium dedit, dum dixit: *Ego testimonium perhibeo de meipso.* *Joan.*, viii, 18. Ergo consentaneum erat ut Spiritus Sanctus quoque suo testimonio adesset, juxta illud, *Joan.*, I *Epist.*, v, 7: *Tres sunt qui testimonium dant in caelo: Pater, Verbum et Spiritus Sanctus.* Sed cur hi tres dant testimonium? Ad hoc ut juxta debitum juris ordinem, istae injuriae divinitati et humanitati irrogatae detegerentur, et injuriatores acriter convicti magis confunderentur. Simili enim periculo, aliisque damnis injuriatores ordinarie exponuntur. Praeter infamiam quae resultare potest in eum, qui alteri affert injuriam, saepe etiam, ut quotidiana nos docet experientia, eidem correspondetur per ultionem, non solum quae in verbis, sed etiam quae in factis consistat; atrahit sibi inimicitiam et odium, non solum eorum qui injurias acceperunt, verum etiam omnium aliorum illis adhaerentium. « Non iis qui « injuriam accipiunt, » inquit S. Isidorus Pelusiota, « sed iis qui inferunt, periculum omne impendit, « eosque trepidare atque contremiscere oportet. « Quod si ita est, injuriam perpeti malum non « est, sed eam inferre, nec illatas injurias perferre « scire. »

Qui profert contumeliam, insipiens est, dicit Sapiens, *Prov.*, x, 18. Injuriator enim suum militum evomere furorem, suasque explere vindictas, non se reflectens, quod adversum se Dei procoet iram et supplicia, seque ipsum in parte nobiliori, id est, anima, mortaliter sauciet: « Quae poena gravior « est, » inquit S. Ambrosius, « quam interioris « vulnus conscientiae? Quod severius iudicium, « quam domesticum, quo unusquisque sibi est « reus, seque ipse arguit, quod injuriam fratri « indigne fecerit? » D. Chrysostomus, *Hom.* xli in *Act. Ap.*, miseram considerat injuriantis conditionem, inquit: « Vide, oro, quemdam qui contu- « melia affectit, et non supplicio affectum, non « propter hoc solum debet laerymari, quia non « contumeliae dat ponam, sed etiam propter aliam « causam ut lugeat, dignum. Et qualis haec? Quia « impudentior facta est anima. Nam unumquodque « peccatum, ubi patratum fuerit et ad finem perve- « nerit, relinquit in anima venenum. » Neque enim solum in corde venenum recludit, quod in proximum effundit, verum etiam causa est, quod in injuriato aliud seipsum regenerat venenum odii et vindictae. S. Antoninus proinde monet, magna cum cautela et circumspectione in hac materia procedendum esse, ne quidem suos cuiquam naturales